



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

xvij. De Rebus sacris, sanctis, & religiosis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

DE REBUS SACRIS,
sanctis, & religiosis,

TITVLVS XVII.

Titulus sequens solum subordinat sequentia ad precedentia. h. d.

Acramentorum breuiter explicato tractatu, illorumque lectione, ac natura cognitis, transeamus iam ad res sacras & sanctas, quales sunt Ecclesie, Altaria, Sanctorum in his conditione reliquæ, vasa, vestes, & similia ad diuinum cultum principaliter comparata. Paulo mox & de religiosis dicturi, ut sunt, religiosæ domus, xenodochia, cœmeteria, & sepulturæ.

DE CONSTRVENDIS,
consecrandis, & reparan-
dis Ecclesijs, & Al-
taribus,

TITVLVS XVIII.

Non licet celebrare, nisi in templis consecratis, nisi ex privilegio, uel ex causa necessitatis. h. d.

*a can. re-
cle-
sia. de cose.
distin. 1.*

Ecclesiam^a hoc loco accipimus non tam Christianorum multitudinem, fideliumque congregationem, quam manufactum ipsum templum Dei, & orationis domum, ab eo quod continetur eius quod continet sumpta denominatione. Sicut ergo non alij^b, quam sacri Deo sacerdotes, sacramenta ministrare debent: sic non in alijs, quam in Domino consecratis locis, cum

*b can. sicut no
alij. et can.
1. ibi, ea
que de con-
secr. dist. 1.*

suis altaribus, vasis, vestibus, & reliquis ad diuinum cultum explendum utensilibus, itidem consecratis, sacrificia offerre licet: nisi quis super hoc speciali sit privilegio munitus, vel summa coegerit necessitas: utpote^c, quæ combusta sit Ecclesia: quo casu, donec illa restauretur, in cappellis cum sacra tabula celebrari poterit.

*c can. concedi-
mus. de con-
secr. distin. 1.*

Constitutis in itinere, licet celebrare sub Dio, & celebrans in priuatis domibus est deponendus. h. d.

In itinere^d quoque constitutis, Ecclesia non reperta, sub Dio, siue in tentorijs, si tabula altaris, cæteraque sacra ministeria adfuerint, missarum solennia celebrari permittendum erit: alioqui si quis in oratorijs^e intra priuatas domos constitutis, sine consensu Episcopi hoc facere ausus fuerit, deponendus erit.

*d can. conce-
dimus. uerf.
in itinere.
de consecr.
distin. 1.*

*e can. clericos.
de consecr.
distin. 1.*

Episcopus ex crescentibus fidelibus, nouam ecclesiam construere potest, & unam in plures diuidere. h. d.

Construuntur autem Ecclesie, vel ob incrementum populi, vel ob commoditatem plebium, vel certæ vniuersitatis intuitu, aut in pastoralis dignitatis privilegium. Ob incrementum populi tunc noua constituenda est Ecclesia, cum certis in regionibus adeo multitudo fidelium excreuit, ut illorum curæ vnica sit impar Ecclesia. Sicut enim earatione vnus Episcopatus in duos

*f can. prece-
pimus. d. 1.
c. 16. q. 1.*